



XXXXA.  
EXERCITATIONUM ACADEMICARUM  
DE  
RECTO NOMI-  
NUM IN PHILO-  
SOPHIA USU

PRIOR

Ex Aristotelis & cum primis Galeni monumen-  
tis, ubi licuit, depromta

Q V A M  
D. O. M. A.

CONSENSU AMPLISSIMAE FACULTATIS  
PHILOSOPHICAE

IN ILLVSTRI ACADEMIA JULIA

PRÆSIDE


M. HENRICO WIDEBVRGIO

*Publico Eruditorum Examine  
submitto*

JOHANNES GEORGIUS GOTTSMANN  
Mündensis.

IN NOVO PHILOSOPHORVM AVDITORIO

A. D. MDCCLXXI. Novembr.



HELMESTADI,

Typis HENNINGI MULLERI Acad. Typogr.

CID ID C LXXI.



EX REGIATATIONE ACADEMICARUM

RECTORI NOMINE

NUMERUM IN PHILLO

SOLIA USQ

PRION

EX ACADEMIAE UNIVERSITATIS GOTTINGENSIS

IN PHILLO

D. O. M. A.

CONSENSU ACADEMICARUM FACULTATIS

UNIVERSITATIS

IN PHILLO ACADEMIA TULLIA

PRION

M. HENRICO WIDEBERGIO

PHILLO ACADEMIA TULLIA

UNIVERSITATIS

JOHANNES GOTTFRIEDUS GOTTSMANN

PHILLO

IN PHILLO ACADEMIA TULLIA

UNIVERSITATIS

PHILLO

HENRICO WIDEBERGIO

PHILLO ACADEMIA TULLIA

UNIVERSITATIS







עמי ישו

THESIS I.



Um DEUS OPT. MAX. hoc universum conderet, præ reliquis animalibus homini mentem dedit, quâ quid verum vel falsum, quid justum vel injustum esset, cognoscere atque dijudicare valeret. Cum verò eidem talem indolem concedere visum foret, quâ suapte sponte si non ad civilem, ad aliquam saltem, societatem contenderet, sermonem simul indulxit, cujus beneficio quæ vera vel falsa, justa vel injusta animò concepisset, aliis communicaret. Uti ergò νοήματα, *mentis nostræ conceptus*, ipsarum rerum sunt simulacra: ita ἐστὶ μὲν τὰ ἐν τῇ φωνῇ τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα, *quæ sunt in voce, sunt nota passionum, quæ sunt in animâ*, ceu loquitur Aristoteles lib. de Interpretatione cap. i. Neque tamen hoc ita intelligi debet, ac si voces nullò modò res ipsas significare dici possint. Dum enim nomina eorum, quæ in animo nostro latent, sunt signa, remotè saltem res ipsas indicare censerì debent, quarum simulacra proximè alias in mente nostrâ existunt. Atque hinc idem Philosophus noster eadem alibi σύμβολα τῶν πραγμάτων *notas rerum* appellare non dubitavit, quando lib. i. de Elench. Sophist. c. i. ita scripsit: Ἐπειδὴ γὰρ οὐκ ἔστιν αὐτὰ καὶ αὐτὰ τὰ πράγματα διαλέγεσθαι φέροντας, ἀλλὰ τῆς ὀνόμασιν ἀντὶ τῶν πραγμάτων χρώμεθα σύμβολοις, *cum enim non liceat res ipsas per se in differendo afferre sed nominibus vice rerum utamur tanquam notis*. E quibus omnibus id constare videtur, sermonem nil aliud esse, quam instrumentum aliquod divinitus hominibus concessum, ut ejus ope res ipsas nobis





ad cognoscendum propositas, eosve, qui his respondent, animi conceptus, mutuo sibi interpretarentur. Et hæc uti integræ alicujus sermonis structuræ, ita singularum quoque ejusdem partium sive vocum, è quibus componitur, ratio est atque natura.

II. Quamvis autem id utrisque, & mentis nostræ conceptibus & vocibus, commune sit, ut rerum quarundam symbola existant: hoc tamen intercedit discriminis, quod illi quidem res, quarum simulacra sunt, ita repræsentent, ut alias exhibere non possint: hæc vero (de primigeniis potissimum loquimur) res ipsas ita significant, ut non magis has quam alias, etiam totò genere diversas, significare possint. Vti enim conceptus auri solum aurum pro objecto habet, & conceptus hujus esse desinit, si aut arborem aut lapidem objectum sibi statuatur: ita vox *auri* in se spectata non magis ad purissimum hoc & perfectissimum metallum, quam id, quod nunc arborem vel lapidem vocamus, significandum est apta nata. Atque hinc factum fuit, ut cum *voivudæ* apud omnes homines non minus eadem sint, quam idem specie omnibus intellectus, & eadem omnium rerum ubivis gentium est essentia: diversæ tamen apud diversos populos voces, & diversæ hinc nata idiomata extiterint. Præclare hoc docuit, qui pleraque præclare docet, Aristoteles: quando iis, quæ præcedente ex cap. I. lib. de Interpretatione produximus, ista subjungit: *Atque ut literæ non sunt apud omnes eadem, ita nec voces sunt eadem. Sed passionēs animi, quarum hæc primùm sunt signa, eadem sunt apud omnes: eadem sunt etiam res, quarum hæc sunt simulacra.*

III. Si ergo voces in se ac citra consilium humanum consideratæ nullam rem certam ita significant, quin æquè & aliam, imò quamcunque aliam, denotare valeant, superest ut dicamus, ab hominum instituto illas habere, ut hæc

noe



nec aliam rem hodie significant. Atque inde idem nos-  
της ἀληθείας Philosophus in eodem libro quem calamō in-  
mente tinctō Isidoro Hispalensi lib. c. Orig. l. 27. scripsisse  
perhibetur, cap. 2. Nomen definit, quod sit φωνή σημαστική  
κατὰ συνθήκην, vox significans ex instituto. Quod ipsum ne  
temere constituisse videretur, illico subiicit: τὸ δὲ κατὰ  
συνθήκην, ὅτι φύσει τῶν ὀνομάτων ἔδεν ἔστιν, ἀλλ' ὅταν γένηται σύμ-  
βολον: *Ex instituto autem dixi: quia nullum nomen est naturā,*  
*sed cum fit notā.* Et verò si nomina naturā, non minus ac ge-  
mitus vel suspiria, ἀγροφύματοι ψόφοι, illiterati soni, aliquid si-  
gnificant, quod olim Pythagoreos quosdam Dexippus, &  
Heraclitum plerique referunt statuisse, quā fit, ut una eadem-  
que res tam diversa in diverso sermonis genere nacta fuerit  
nomina? Quā fit, ut voces, quæ literis non multum distant,  
diversis gentibus res vel totō coelō diversas manifestent?  
Sanè בִּינָה binah Ebræis prudentiam תְּבִיבָה *petbi* iisdem fatu-  
um significat, quæ voces etsi cum latinorum *bina* & *peti* pro-  
ximè conveniant, significatione tamen immane quantum  
discrepant. Quā tandem fit, ut nec Græci Latinos, nec Ger-  
mani Ebræos intelligant, cum quid vel ploratu vel cachin-  
nis nobis velimus, apud Indos etiam & extremos Garaman-  
tas neminem lateat? Placet adscribere quædam Galeni  
verba, Philosophi ac Medici prorsus eximii, cujus vestigiis  
insistere eò minus nos poenitet, quò certius è qualicunque  
operum ejusdem lectione exploratum habemus, post Ari-  
stotelem non temerè alium aliquem scriptorem esse, è quo  
plura, quæ ad rectam & solidam docendi discendique pru-  
dentiam faciunt, petere liceat. Is autem sapientissimus  
docendi Magister lib. de tuendâ sanitate ad Thrasybulum  
conscriptō cap. 32. ita inquit: *Ceterum nonnulli asserunt i-*  
*psis nomen aliquid significare, unde hujusce rei causâ ego per mul-*  
*ta Getarum, Thracum, Mysorum, Phrygumque nomina colligens*  
*A 3* *justi,*



jussi, ut à singulis rem significatam manifestarent. Illis autem in solâ Gracâ linguâ id se facere posse dicentibus, hoc vocabulum λιμένα (Latinè portum dicas) proposui: illis verò locum ubi naves in statione quiescunt significare affirmantibus: at Thessali, respondi, quod à nobis forum rerum venalium dicitur, ita nominant. Sed isti Thessalicam linguam scire se negabant, tanquam sanè illud ipsum non confitentes, quod ab initio dicebatur, nullum nomen cui rei inditum sit, posse cognosci, nisi ab impositoribus edoctus fueris.

IV. Jam licet voces naturâ suâ non magis hanc quam ullam aliam rem significant, quoniam tamen notæ, imò vicariæ quasi, sunt rerum, quas animò conceptas alteri interpretari volumus, omninò illas ita comparatas esse oportet, ut qui eas audit, statim intelligat, quid prolatis illis alter sibi velit, atque sic eundem semper conceptum in animo audientis producant. Quod enim Aristoteles IV. Meteor. cap. ult. & I. de Part. Animal. cap. I. circa naturam instrumentorum observat, illa talia revera non esse sed æquivocè saltem ita dici, si munere, cui natura vel ars eadem destinavit, fungi nequeant: idem de nominibus est affirmandum. Namque & hæc vim suam amittunt omnem, nisi satis idonea sint, quæ illum ipsum, ad quem comparata sunt, usum præstare valeant. Est is, uti supra indicavimus, quod ea, quæ animo nostro servamus, & alteri proderere cupimus, illi declarent. At verò hoc prorsus consequi non possumus, nisi unicam saltem quælibet vox significationem habuerit. Rectè id observavit idem, quem modò laudavimus, & sæpe testem in his exercitationibus advocabimus, Galenus, dum lib. de Sophismatis in verbò contingentibus cap. 2. ita scribit: *Quoniam verò ut alibi demonstratum est, ipsum bonum virtusque in eo est, ad quod nata aut facta res est, ut hominis in vivendo, gladii in scindendo, idcirco ad quod nata aut facta est dictio*



dictio sumendum est. Manifestum verò est, ad unum hoc ut significet. Patet igitur in hoc & bonum & virtutum esse, patet quoque solam è virtutibus hanc esse in dictione per se. — Apparet sanè dictio ad unum nata, hoc est ad significandum. Si igitur bonum ipsum in hoc positum est, hoc ipsum non significare, aut non rectè significare virtutum erit.

V. Ut itaque munus illud suum & integra sermonis structura, & singulæ dictiones exequi possent, singulis rebus singula ponenda erant nomina. Quod si enim una eademque vox ad res plures pertinet, ut æquè hanc atque aliam aliquam denotet, mens audientis distrahitur, nec quam intelligat alter, cum quo ipsi sermonis commercium intercedit, certò statuere potest. Talis ergo confusio nulla aliâ ratione præcaveri poterat, quam ut voces ita certæ cuidam rei significandæ inderentur, ut aliam quandam non simul significarent. Id enim si fiat, ἵσται ὁ λέγων τῆς διάνοιαν, καὶ ὁ ἀκούων ἠπίμνησεν, qui dicit audientis dianocam sistit, & qui audit acquirescit, ut nostra faciamus verba Philosophi lib. de Interpret. cap. 3. Probè hoc noverat Galenus, quando lib. III. de Method. Med. cap. 10. caput esse dixit ad effugiendam in rebus deceptionem, ut definitâ locutione utaris. Imprimis autem ad nostrum institutum faciunt, quæ apud eundem lib. I. de difficultate respirationis cap. 2. habentur: Multum, inquit, lucidius esse opinor, unicuique rei seorsim unum nomen ipsique proprium indere, eoque perpetuò uti, cum sciam, quod communia nomina, quæ alterum non magis quàm alterum significant, auditorem confundunt. & perturbant, ut non cognoscat, quid sit tandem quod dicitur, priusquam equivocatio distinguatur.

VI. Ut ergo omnis vel aberrandi vel fallendi occasio præcluderetur, tot debebant esse nomina, quot extant res, quas & cognoscere, & cognitâ ope sermonis alteri communicare mortales possumus. Scilicet, uti quælibet

res



res peculiarem suam & à reliquis distinctam nacta est essen-  
tiam: ita suum quoque peculiare, quove ab aliis omnibus  
dignoscatur, nomen obtinere debebat. Verum enim  
verò id uti bonus quisque exoptat: ita vix prudens aliquis  
sperare audet, modò ad infinitam illam rerum seriem ani-  
mum convertat, quæ nobis in vasto hoc Orbis theatro co-  
gnoscendæ offeruntur. Certè uti solius potentiæ ac sapi-  
entiæ divinæ fuit, tantâ rerum copiâ mundum hunc exor-  
nare: ita ultra humanam sortem esse videtur, omnibus quæ  
ibi contemplanda nobis exhibentur, proprium suum inde-  
re nomen, & rectè dudum in hanc rem scripsit Aristoteles  
lib. I. de Elench. Sophist. cap. I. *Τὰ μὲν γὰρ ὀνόματα πεπερασται,*  
*καὶ τὸ τῶν λόγων πλῆθος: τὰ δὲ πράγματα τὸν ἀριθμὸν ἀπειρά εἰσι.*  
*Ἀναγκαῖον ἔν πλείω τὸν αὐτὸν λόγον καὶ τῆνομα εἶν σημαίνειν.* *Nomi-*  
*na sunt finita & orationum multitudo: res autem numero infini-*  
*ta sunt. Necessè igitur est, ut eadem oratio unumq, nomen plu-*  
*ra significet.* Liqueet ergo ipsam necessitatem nobis homo-  
nyma & amphibolias extorsisse: ut ita communi mortalium  
imbecillitati Sophistæ nefariò ausû illudant, quando æqui-  
vocationibus ac ambiguitatibus abusi non modò incautis  
insidias struunt, sed & rectè dicta aliorum pervertunt, ut ha-  
beant quod arrodant, & in sententiis earundem innoxiiis  
more sycophantarum calumnientur. Pertinet huc gravis  
querela Galeni, quâ librum primum de pulsuum differen-  
tiis auspiciatur: quæ postquam Doctissimo Piccarto digna  
visa est, unde suæ disputationis *de nominibus eorumque impo-*  
*sitione & usû* initium sumeret, neque indigna erit, quæ hic  
à nobis repetatur. Ita autem habet: *Optarem res percipi &*  
*tradi citra ipsarum nomina posse, ut ne ad artis vel ex suâ ipsius*  
*commentatione longitudinem veluti cumulus nobis accederet vo-*  
*cabuli negotium. Sed quod nominibus necessariò quæ volumus in-*  
*terpretamur, Sophistæ hic commentorum & inutilis disputationis*  
*copiosa*



*copiosa materia suppeditatur: ceteris nobis, qui rerum scientiam,  
non usum vocum moramur, invisis quidem: tamen compellimur  
propter Sophistarum contumelias de nominibus laborare.*

VII. Quamvis autem humana industria, etiam summa, evitare non potuerit, quin aliquæ saltem voces pluribus rebus denotandis ita relinquerentur communes, ut haut magis unam, quam alteram significant; Bonum tamen factum, quod pleræque etsi res plures significare possint, ad unam tamen indicandam plerumque, adhiberi soleant; imo, nisi alia quædam vox adjiciatur, vel contextus aliter capere exigat, ad eam significandam quasi adstrictæ sint. Aristoteles tale nomen sub eâ significatione spectatum κῆρυξ appellat, & libro de arte Poeticâ hodie superstite ita definit. λέγω δὲ κῆρυξ μὲν, ὅτι πρώτοις ἔκαστος: dico κῆρυξ, quò utuntur singuli. Nempe cum qui primi nomina rebus dederunt, facile animadverterent, magis curtam sibi esse suppellectilem, quam ut in tam stupendâ rerum multitudine singulis peculiare nomen indere possent: unam quidem necessitate superati adhibuerunt ad plures significandas, ut tamen aliquam veluti principalem atque eminentem illi tribuerent significationem, ut potissimum rem illam indicaret, ad quam denotandam primum adinventâ erat. Hinc Aristoteli visum fuit, ut tale nomen κῆρυξ vocaret, à Græco vocabulo τὸ κῆρυξ, quæ apud optimos autores potestatem atque dominium significare solet. Nostri proprium appellant: etsi vim Græcæ vocis appellatio Latina non satis exprimat, uti censet Magnificus Dn. D. Eichelius Dissertatione de Interpretatione Legum cap. XIII. §. 4. Atque hoc quod de propria vocum significatione dictum fuit, Latinorum Patrum doctissimus, Augustinus, probè observavit, quando lib. II. de Doctrinâ Christianâ cap. X. Propria, inquit, dicuntur, cum his rebus significandis adhibentur, propter quas sunt instituta, sicut cum dicimus

B

bovem,





bovem, intelligimus pecus, quod omnes nobiscum Latina lingua  
 homines hoc nomine vocant. Pluscula sunt quæ apud Senecam  
 lib. II. de Beneficiis cap. 34. p. 17. edit. Erasmi, nobis offerun-  
 tur; sed quia institutum nostrum egregiè illustrant, ea-  
 dem non piget huc transtulisse: *Ingens*, inquit, *copia est re-  
 rum sine nomine, quas non propriis appellationibus notamus, sed a-  
 liunde commodatis, quia pedem & nostrum dicimus, & lecti & ve-  
 li & carminis, Canem & venaticum, & marinum & sidus. Quia  
 non sufficimus, ut singula singulis assignemus, quoties opus est mu-  
 tuamus. Fortitudo est pericula justa contemnens, aut scientia pe-  
 riculorum repellendorum, excipiendorum, provocandorum. Dici-  
 mus tamen & gladiatorem forte in virum, & servum nequam, quem  
 in contemptam mortis temeritas impulit. Parsimonia est scientia  
 vitandi sumtus supervacuos, aut ars re familiari moderatè utendi,  
 parcissimum tamen hominem vocamus pusilli animi & contracti,  
 cum infinitum intersit inter modum & angustias. Hac alia sunt  
 natura, sed effecit inopia sermonis, ut hunc & illum parcum vo-  
 cemur: ut & ille fortis dicatur cum ratione fortuita despiciens, &  
 hic sine ratione in pericula excurrens. Sic beneficium & actio di-  
 citur beneficii, & ipsum quod datur per illam actionem, ut pecu-  
 nia, domus, pratexta (simile quid in voce *χάρις* apud Græcos  
 occurrit, ut patet ex lib. II. Rhet. cap. 7. §. 1. & 2.) *Vnum u-  
 trique nomen est, vis quidem ac potestas longè alia. Idem quod  
 Romanorum sapientem fatentem modo audivimus agno-  
 vit & ingenuè fassus est Cicero, eorundem disertissimus,  
 quando lib. III. de Oratore p. 487. ita scribit: Si res suam  
 & proprium vocabulum non habet, ut pes in navi. ut nexum quod  
 per libram agitur, ut in uxore divorzium, necessitas cogit, quod  
 non habeas aliunde sumere, sed in suorum verborum maximâ  
 copia.**

HX. Omnia hæc quæ hactenus diximus, & è suis prin-  
 cipiis deduximus, eò tendebant, ut constaret, usum esse, ad  
 quem



quem respicere oportet, quoties de nativâ ac propriâ vocis  
cujusque significatione judicari debet. Cum enim nomi-  
na non nisi *κατὰ συνήθειαν ἢ νόμον ex instituto & lege*, symbola  
sint earum rerum, quas notant: non potest lex illa, quam de  
eorundem significatione consensus hominum quasi sanc-  
vit, nobis nisi è communi loquentium usu innotescere. Sci-  
licet res hic perinde ac in aliis hominum arbitriò institutis  
signis habet. Faciamus inter aliquos convenisse, ut certò  
quodam vel gestû vel actû rem quandam sibi significant,  
quale quid Davidem & Jonathanem, candida illa pectora,  
fecisse 1 Sam. xx. legimus: alii quid illi gestû actuve illò sibi  
velint, tamdiu ignorant, donec ab illis ipsis didicerint. Pari-  
ratione & voces signa quædam sunt in eum finem introdu-  
cta, ut depromant atque in alterius animum trajiciant id,  
quod qui signum dat in animo gerit; neque signa saltem,  
sed talia etiam signa sunt, quæ à solo arbitratu humanò de-  
pendere supra ostendimus. Quomodo ergo quid iis intel-  
ligere debeamus certi erimus, nisi consuetudinem eorum,  
è quorum idiomate depromptæ sunt, consulamus? Sed au-  
diamus Galenum nostrum, qui hanc in rem lib. de tuendâ  
sanitate ad Thrasybulum cap. 32. ita differit: *Ac de nomini-  
bus non his solum, sed de aliis omnibus illud in universum pronun-  
cio, nihil eruditum in medium adduci posse, sed sive Assyriorum  
lingua vocabulum sit, ab ipsis Assyriis res discenda est, cui no-  
men illi indiderunt: sive sit Persarum lingua, aut Indorum, aut  
Arabum, aut Aethiopum, aut omninò aliorum quorundam, illos  
percontari oportet. Nomen enim ipsum per se solum prolatum  
nihil indicat.*

IX. Quod si verò propria & nativa vocum significa-  
tio ab usû dependet, huic utique accommodare se debet,  
quisquis alterum vel voce vel scriptò docere satagit. Benè  
Johannes Picus, *Mirandulæ Concordiæque Comes*, Stupen-



pendi vir ingenii, lib. de Ente & Uno cap. 3. p. 243. *Ut verè  
dicitur, sentire quidem ut pauci; loqui autem ut plures debemus.  
Sentimus enim & opinamur nobis, loquimur aliis, id est, multis  
dini, atque ideò loquimur ut intelligamur.* Benè hæc, inquam,  
dicta sunt. Nam aut intelligi vult qui alterum docere insti-  
ruit, aut non vult intelligi. Si non vult intelligi, aërem ver-  
berat, nec dignus est, cui quis aures commoder. Si vult  
intelligi, animi sui sensa iis signis alteri manifestare tenetur,  
quibus quid intelligere debeat, alteri jam constat. Cum au-  
tem signa talia sint voces, scertè has eò sensû adhibere o-  
porteret, quò alterum easdem accipere novit. Accipit au-  
tem bonus quisque & prudens eò sensû, cui à teneris hæc-  
tenus adsuevit. Non ergo aliò iisdem uti debet, quicumque  
alterum ita docendum suscipit, ut in animum ejus transfun-  
dat, quæ ipse mente suâ concepit.

X. *Vfus ille, à quò vocum significationem pendere di-  
ximus, duplex est, vel Communis vel Proprius; ut non modò e-  
leganter B. Dn. D. Calixtus, summus nec unquam sine laude  
nominandus Theologus, Digressi. de Arte novâ §. 55. p. 176.  
observavit, verum res ipsa quoque docet. Cum enim re-  
rum nonnullæ ita sint in aprico positæ, ut ob oculos inter-  
que manus versentur omnium, & vulgo etiam, sint cognitæ;  
aliæ contra sub iis, quæ in sensum incurrunt, adeò abstrusæ la-  
tent, ut non nisi eruditis, iisque qui è sensû manifestis, ad ea  
quæ ab his procul natura removit, discursu progredi valent.  
Hinc itaq; fieri aliter non potuit, quàm ut quædam nomina  
communi eodem idiomate utentium consensû imponeren-  
tur: quædam verò solis doctis in consuetudine essent posita.  
Uti enim quisque iis dat nomina, quæ novit, ita à vulgo fru-  
stra quis expectet voces, quibus denotentur ea, quæ illius  
cognitioni sunt subtracta. Patet ergo esse quædam nomi-  
na, quæ à solis eruditis, quibus res iisdem significatæ no-*



tae sunt, peti debeant. Hisce ita positis Communis vocum  
usus erit, qui quibuslibet hominibus, aut si de uno idiomate  
loquamur, certae cuidam genti, est communis: Proprius  
vero, qui non nisi apud eruditos obrinet. Quoniam vero  
Philosophus, dum de omni in universum ente agit, quate-  
nus lumine naturae cognosci potest, utrisque uti debet; nos  
ordine de utrisque etiam in hac dissertatione agemus.

XI. Quotiescunque ergo Philosophus sive voce  
sive scripto cum altero agat, ejusmodi rem significare cu-  
pit, quae & vulgo est suo modo cognita, & ab eo nomen ac-  
cepit, non alio hoc, quam quod illi communis loquentium  
consuetudo imposuit, nec alio etiam significato eodem uti  
debet, quam quod ab omnibus, qui illi utuntur, adhiberi so-  
let. Atque id ipsum eo libentius faciet Philosophus, cui nul-  
lum magis quam veritatis inquirendae ac propagandae stu-  
dium curae cordique est, esse certe debet, postquam & ipse  
Deus ad captum nostrum ita se demittere non fuit dedigna-  
tus, ut ardua illa atque tremenda fidei nostrae mysteria non  
aliis quam popularibus verbis, iisque non alio sensu, quam  
apud mortales fieri solet, acceptis nobis proposuerit. Nullo,  
inquit Magnus ille Hipponensium in Africa Antistes lib. 1.  
de Trinit. cap. 12. locutionis genere utitur *Sacra Scriptura, quod  
in consuetudine hominum non invenitur, quia utique hominibus  
loquitur: quod ipsum cum Augustino plurimi alii agnoscunt  
& veteres & recentiores, etiam inter ipsos Pontificios post  
Concilium Tridentinum, Scriptores, quorum testimonia  
summo studio collegit B. Calixtus o. n. Digress. de Arte  
Nova §. 50. p. 171. & seqq.* Si vero supremum illud Numen  
dum nobis loquitur per suavissimam *συγκατάβασις* nostrae lo-  
quendi consuetudini sese accommodare non dubitavit:  
quænam sodes isthæc est superbia, quæ dementia, si nos ho-  
mines hominibus vel loquentes vel scribentes usitatam vo-

B 3

cum



cum significationem migrare audeamus? Illud saltem sub  
finem theseos hic monuisse iuvat, quod quando commu-  
nem usum vocum à vulgari consuetudine deduximus, non  
ita sit accipiendum, quasi ad balnea vel tonstrinas, aut et-  
iam muliercularum coetus Philosophum ablegare velimus.  
Namque cum imperita plebs voces haud rarò perperam  
immutet, eruditi verò communem illum usum rectius ple-  
rumq; excolant, Philosophus qui cum doctis potissimum a-  
git, veram vocum quarumlibet significationē, ex optimis im-  
primis scriptoribus addiscet: id quod nobis, qui hodie Latine  
cum primis philosophamur, necessario faciendum est. Atq;  
tale quid in Græcâ linguâ se fecisse Galenus docet, quando l.  
2. c. 5. de different. puls. ita inquit: *Patrem habui, qui ad amu-  
sim teneret Græcam linguam essetque doctor, & Pedagogus Græcus.  
In his alius vocabulis sum, nescio tua. Nec mercatorum mihi  
aut cauponum aut publicanorum usum nominum adduce. Non usus  
sum istâ hominum ratione, à puero in veterum vixi libris.*

XII. Sed ut eò magis constet Philosopho commu-  
nem illum vocabulorum usum commendandum esse, age,  
audiamus utrumque, Aristotelem & Galenum, quos Optimi  
quiq; Philosophi Præceptores hactenus agnoverunt, quos-  
ve imprimis in his dissertationibus nos secuturos esse in i-  
psâ inscriptione professi sumus. Hanc ergo Aristoteles lib.  
II. Topic. c. 2. Dialectico disputatori legem ponit à quâ  
tamen nec Analyticus se solum esse existimabit: *Præterea  
definire oportet, qualia vocanda sint, ut multi vocant, qualia  
non. Hoc autem utile est & ad confirmandum, & ad refellendum.  
Veluti quod iis nominibus res sint appellanda, quibus oî πολλοὶ  
multi utuntur: cum autem queritur, quales res sint ejusmodi vel  
non ejusmodi, non est amplius sequenda multitudo. Exempli gra-  
tia: salubre vocandum est, quod valet ad sanitatem efficiendam,  
ut multi vocant; an autem quod propositum est ad sanitatem va-  
le*



leat neq; ne, non est amplius dicendum, ut multi dicunt, sed ut Me-  
dicus. Idem cum Aristotele docet Galenus lib. 1. de Method.  
medendi c. 5. Hoc saltem mihi per omnem disceptationem me-  
moria teneri maximè velim, nominum quidem interpretationem  
ex Græcorum consuetudine me facturum (sicut in Commentariis de  
Demonstratione dixi) ipsius autem rerum essentia tum inventio-  
nem, tum inquisitionem, tum demonstrationem non ex his, quæ mul-  
titudini videntur, imò ex summionibus scientificis, quæ lemmata  
Græci vocant, de quorum inveniendi ratione ibi est proditum. I-  
dem lib. 21. de differentiis pulsuum c. 5. Nos quemadmodum  
monetam in quâlibet urbe resseram esse scimus emtionis & ven-  
ditionis, quam qui adulterant in hos legumlatores animadver-  
tunt: sic linguarum insignia multa esse scimus, earum tueri, quam  
quisque elegerit, volumus. Nos defendimus communem linguam  
quam vocant, sive una ea Atticorum est (multas enim sumit A-  
theniensium lingua mutationes) sive omnino alia quapiam. Nam  
alio in loco de hac re meam sententiam aperio. Et hanc studemus  
linguam servare, neque in ejus leges quicquam committere, neque  
monetam inducere vocis adulterinam, neque depravare. Rursus l.  
121. c. 6. Omnium doctrina prima rerum artificialium quæ aper-  
ta sit & distincta, propria nomina quarit.

XIII. Rectè verò Galenus apertam sive perspicuam  
vult esse Philosophi dictionem. Et sanè si nulla alia foret  
causa, quare Philosophus usitatæ loquentium consuetudini  
accommodare sese debeat, vel hæc sola sufficere poterat,  
quod perspicuitatem aliter consequi non possit. Neq; enim  
Orator solum, sed Philosophus quoque perspicuitatis sum-  
mam rationem habere debet. Atque id vel inde constat,  
quod omnis ejus opera in eò sit occupata, ut abstrusa & in  
rerum interiori recessu latentia in lucem proferat, atque  
spectanda proponat, quod sanè si de obscuris obscure lo-  
quatur nunquam consequetur. Vtinam vero omnibus is  
fuisset



fuisse animus, qui fuit Rudolpho Agricola, quando lib. 1.  
de invent. Dialect. c. 3. scripsit: *Vellem itaque me non dicere  
modo ista, sed vel pingere, si res id caperet, vel sculpere etiam posse;*  
nec dubitandum, quin longè illustriora à summis in Philo-  
sophia viris monumenta legere hodie liceat. Sed audia-  
mus Galenum cujus lib. II. de Method. med. c. 1. hæc sunt  
verba: *Qui alterum docere volet, qui ipse tenet huic prorsus no-  
minibus propter res uti est opus. In quorum usu claritas quasi me-  
ta spectanda erit. Nam qui sic nominare quaque studet, ut qui  
discit clarissime intelligat, is optimus praeceptor fuerit.* Idem lib.  
II. de Puls. differentiis cap. 1. *Græcorum nos institutum (etenim  
apud eos alii sumus) tenemus, elaboramusque ut clarissimis sem-  
per nominibus sensum interpretemur. — Nam lingua, quâ inter  
nos commentamur, hoc nomine utimur proprietate, quò mentem  
suam significare, ita sermone censemus eum uti optime. Nostrum  
id est institutum, modestum sanè & humanum. Cum itaque &  
modestum pariter & humanum sit, perspicuitatem docendo  
sectari, nihil sanè intermittet Philosophus, quod ad potissi-  
mam hanc dictionis virtutem consequendam facere possit.  
Quomodo autem obtinere illa possit, præclare docuit Sum-  
mus non minus Rhetor quàm Philosophus lib. III. Rhet. c. 2.  
Ex nominibus autem & verba illa præcipuè dilucidam orationem  
efficiunt, quæ propria sunt; vel si mavis Græca: τῶν δ' ὀνομάτων  
ἐν ῥημάτων σαφὴν ἰδέσθαι τὰ κύρια. Ecce! τὰ κύρια ὀνόματα di-  
cit perspicuam facere actionem. At verò hæc non aliunde  
quam è communi usu depromere nobis licere jam diximus.*

XIV. Hoc nomine imprimis Aristoteles magnam  
consecutus est gloriam, quod dimissō figuratō & obscurō  
docendi genere quod antiquiores Philosophi usurpabant,  
proprietas vocum atque sermonis in Sapiencia propo-  
nendâ adhibuerit. Atque hoc qui ipsa ejus monumenta  
forsan haut legerunt, credant Philippo Melanchthoni, satis  
gravi



gravitatum arbitro : Plerique, inquit ille Tom. r. epist.  
p. 513. libri (Aristotelis) valde perspicui sunt. Duas enim res  
adhibet quae perspicuitatem imprimis efficiunt, methodum & ge-  
nus Orationis proprium. Quin & Ludovicus Vives, Hispa-  
norum superiori seculó doctissimus, non dubitat asserere,  
id consecutum esse Philosophum nostrum, ut nullus ver-  
bis figurisque Graeci sermonis aptius magisque propriè sit usus not.  
ad Augustin. de C. D. lib. 8. c. 12. p. 463. Vti verò hoc no-  
mine Aristoteles magnam laudem est indeptus: ita eo-  
dem Chrysippus cum apud alios tum apud Galenum ma-  
lè audit, quando lib. 11. de Pulsuum differentiis ita eum  
reprehendit: Nomina sanctius ille (Chrysippus) sciscit, quam  
Atheniensibus de appendendis nummis Solon suis Tabulis: confundit  
autem ipse ea primus. Et si queras de successoribus ejus sciti,  
quid non tueatur sua decreta? abutitur, inquit. At licet, ce-  
do, abuti, nec qui hoc admittunt peccant? Licet, inquit. Nam  
quid dicant aliud, ubi in puteo (ut in proverbio est) sunt oppressi?  
Qui autem alius hoc hominibus non permittunt? An non Chry-  
sippo isthuc ejusque facere permissum est amulu? At quam quæso  
ob rem? Quod terra sit natus scilicet Atticus, de Codri familia &  
Erechthei? Atqui siquidem illorum sit nepos, non adulteraret qua-  
si nummum aliquem antiquæ institutum vocis. Nunc autem (quod  
quis ferat?) neque Athenis natus nec altus, sed ex Sicilia pridem  
adveniens prius quàm probe Græcam vocem didicerit ullam, A-  
theniensibus studet legem de nominibus ferre, pica sirenem imi-  
tans; ut picam non graculum dicamus, vel corvum, vel quippiam  
aliud, quem verius appellaveris tam audacem.

XV Sed redeamus ad institutum nostrum, & vide-  
amus quid expectandum nobis sit, si cuilibet communi  
usu receptam vocum significationem pervertere liceat.  
Sanè uti in Civitate non possunt non oriri turbæ, si aut  
moneta adulterina introducta, aut pristinus bonæ illius

C

valor





valor perperam fuerit immutatus: ita disciplinas omnes & cum his sapientiam ipsam turpiter confundi necesse est, si à recepto hætenus nominum usum temere desciscere cuivis liceat. Neque enim verius quicquam dicere potuit Galenus, quam cum lib. 3. de Simpl. Med. fac. cap. 12. scripsit: *Perturbatus confususque nominum usus rerum quoque unà confundit notitiam. Ac ramesi exile videatur nominum significata probè distinguere, attamen maximum habere momentum ad rerum cognitionem deprehenditur.* Hoc itaque cum non ignorarent, qui hætenus scientias innovare conati fuerunt, ut eò facilius carbones suos pro veterum thesauris imprudentioribus obtruderent, nomina primum vellicarunt, & omnino aliquando immutarunt. Scilicet quemadmodum sepia cum sentit retinacula piscantium liquorem fundit, quò fallat eorum oculos, ne capiatur: ita novaturientes hi voces loco suo movent, ut nebulam aliquam lectori minus fortè attento suffusam, & hunc confundant, & ipsi elabantur. Satingens eorum numerus est, quos pruritus hic malè vexat, & major fortassis, quam olim muscarum est, cum caletur maximè. Sed nos nunc unicum saltem Theophrastum Paracelsum producemus, hominem, ut solet id genus, jactabundum adeò, ut non sine ingenti stoliditate in Paragrano suo, gloriatur: *Corrigia seu annuli calcæorum meorum plus norunt artis Medicae, quam Galenus, Aristoteles, alique.* Is verò in libro de Caduco Matris, uti vocat, palam discipulo suo precipit, ne quis linguas ediscat, aut in eis se exerceat, uti non sine justa indignatione refert Ernestus Sonerus, Philosophus & Medicus quondam celeberrimus, Oratione de Theophrasto Paracelso ejusque perniciosam Medicinam, quæ conjuncta est Philosophiæ Aldtorphiæ. Quò hæc tendant, Viri boni atque prudentes facile vident. Nempe id unicè agit circulator hic, ut veterum scriptis



scriptis è manibus studiosorum excussis ipse solus *vacuus*  
*regnet basiliscus arena*. Ast iustissima plerumque hos exci-  
pit talio, iisque contingit, quod jam olim autore Euse-  
bio ab Aristocle de Aristotelis calumniatoribus dictum  
fuit, ut eorum etiam nomina & libri cum ipsis intere-  
ant. Hoc enim ut plurimum obscuritatis suæ præmium  
referunt, ut dum à nemine intelliguntur, deserantur ab o-  
mnibus: & postquam immaturis suis scriptis tineas ac  
blattas annis non adeò multis saturarunt, tandem planè  
ignorentur.

XVI. Nec novum tamen est, aut recens enatum  
novatorum hoc genus. Galenus certè jam tum seculo  
post natum Christum II. de importunâ hac prurigine  
passim conqueritur, ceu neminem latet, qui vel unum al-  
terumve ejusdem librum evolvit. Nos nunc unicum  
saltem inde adscribemus locum, quo gravissime nonnul-  
los reprehendit, qui contra omnium Græcè loquentium  
consuetudinem simplicis respirandi difficultatis differen-  
tiis constituerant nomina. Ita ergò lib. I. de difficultate  
respirationis cap. 2. scribit: *Si unum etiam singulis rebus quis*  
*imponat nomen, non verò quò nos distinximus modò, sed vice ver-*  
*sâ velocitatem quidem & tarditatem tribuat cessationibus, ra-*  
*ritatem autem & densitatem motibus, haut scio quid sibi velit*  
*per impropriorum & inconsuetorum nominum usum, quem pro*  
*propriis & consuetis inducit. Quod enim omnes, qui nunc vivunt*  
*homines atque etiam antiqui tarditatem ac velocitatem de nullâ*  
*re aliâ prædicant, præterquam de his, quæ moventur, nemo igno-*  
*rat. Quàm sapiens itaque se perpetrasse factum jactabit, qui no-*  
*minum usum adeò transposuit, ut cessationem motuum nominibus*  
*appellet? Et quam sapiens factum si cessationum nomina actio-*  
*nibus imponat. Quemadmodum enim & vires & oleas densas, ubi*  
*modica interest distantia, dicimus, raras nominantes, si am-*  
*plior*





*plurior intersit: sic animalium actiones, quæ per modicum tempus  
fiunt, densas, quæ per multum raras appellamus. Quod si quis non  
ira, ut dixi, sed aliter nominare velit, neque Hippocratem, neque  
alios veteres, neque omnino Græcos aut Latinos sequi dignetur,  
imò nec manifesta interpretationis curiosus, illi permittendum  
est, ut Cadmeam victoriam vincat.*

XVII. Hæc omnia, quæ de Communi vocum usu  
hactenus dicta sunt, tamdiu observare debet Philosophus,  
quamdiu ex eo suppetunt nomina, quibus quæ animò suò  
concepit aliis perspicuè interpretari possit. Cum verò  
sapiens, ut supra jam indicavimus, non in solâ eorum co-  
gnitione acquiescere, quæ vulgò sunt cognita, sed ad om-  
nia omnino contemplanda se accingere debeat, quæ ab  
homine naturali intellectus vi, citra specialem Dei reve-  
lationem, cognosci possunt, patet, si alia præter ea de qui-  
bus vulgo constat docere alterum satagat, nomina è com-  
muni consuetudine sperare illum non posse. Hoc ipsum  
B.B. Autores Apologiæ contra Büscherum editæ vel inde  
patere existimant, quod vulgus multa confundat, ac unò  
nomine usurpet, quæ ut rectè distinguantur ad veritatem  
plurimum interesse deprehenditur. Sed audiamus ipsos  
part. Secundâ pag. 285. ita differentes: *Wie der gemeine  
Mann vieler Dinge unterscheid / als der zu zeiten etwas tieff und  
nicht eben zu tage ligt / nicht siehet und versteht / also gebrau-  
chet sich derselbe auch schlecht der gemeinen Wort / und feiner  
sonderlichen / vermittelst deren erwehnter Unterscheid angedeu-  
tet würde. Dannenhero entstehet bey den Gelahrten eine noth-  
wendigkeit dieser behueff sonderliche dem gemeinem Volck un-  
bekante terminos oder Schulwörter zu haben und zu gebrau-  
chen.*

XIIX. Nempe sicut Deus Opt. Max. dum hominibus  
in universum omnibus sermonem concessit, quo alter al-  
teri



teri animi sui conceptus communicare posset, simul illis  
jus dedit, ut communi quasi decretò sua rebus, quas alteri  
significare vellent, nomina imponerent: ita Philosophis  
circa ea, quæ hi soli cognoscunt, idem jus divinitus con-  
cessum fuisse fateri oportet. Dū enim objecta quæ cognosci  
possunt, si non omnia proximè, remotè saltem sensibus, &  
per eos animis nostris ingessit, & simul appetitum nostram  
scientiam aliis communicandi indidit: facultatem quoque  
iis, qui in accurata optimarum ac præstantissimarum rerum  
cognitione versantur, indulgisse censendus est, quâ iis, quæ  
in aliorum animum trajicere volunt, imponant nomina, si  
aliunde hæc non suppetant. Benè hoc monet Autor scri-  
pti vernaculi, cui titulus: *Klage der Cause Moralis und*  
*Conditionis sine quâ non p. 17.* Damit aber der Censor wiss-  
sen möge/von wannen die Macht komme/oder den Philosophis  
gegeben sey (*leges von den terminis Philosophicis und dero bedeuts*  
*tung fürzuschreiben*) so vernehme er kürlich und mit weinigen daß  
sie die Macht haben nicht / wie oben gesehet / von Menschen/  
sondern von Gott/von dem Schöpffer und einsetzer der Natur.  
Der die Philosophiam gegeben hat/hat zugleich die Macht ges-  
geben *leges zu setzen von den Philosophischen dingen / das ist*  
*wie man mit Philosophischen sachen recht umbgehen/wie man*  
*dieselbe tractiren und expliciren solte.* Haben also die Phi-  
losophi an und für sich selbst/ohne dependenz von einigen  
Menschen / macht regulas zu geben / und *leges zu præscribi-*  
*ren in denen materiis so ihnen unterworffen / nicht anders als*  
*wie in allen Disciplinen und Faculteten leges docendi, und*  
*in specie leges interpretandi, explicandi materias so wol*  
*gefunden/als noch gegeben werden.* Hæc ille; qui *Tros Ruzi-*  
*lusve suaz,* nobis nunc perinde esto. Etsi non ignoremus  
in nostrum hoc ævum imprimis quadrare, quod in suo se-  
culi V. scriptor Salvianus, Massiliensium Episcopus, re-



prehendit, quando in præfatione libb. contra Avaritiam p. 9. se excusat, quod nomen suum his non præscripserit: *Omnia*, inquit, *admodum dicta rari estimantur, quantum est is qui dixit. Si quidem tam imbecilla sunt iudicia huius temporis, ac penè tam nulla, ut hi qui legunt, non tam considerent quid legant: nec tam dictionis vim atque virtutem, quam dictatoris (fortè, dictoris) cogitent dignitatem.*

XIX. Sed nec qui apud solos Philosophos in usu sunt termini unius omnes ejusdemque sunt generis: sed & ipsi in *Communes* & *Proprios*, sive quis aliter vocare velit, dispesci possunt. Namque & inter res ipsas, quæ Philosopho cognoscendæ proponuntur, hoc discriminis animadvertere licet, quod cum aliæ ad unum aliquod γένος ὑποκειµενον, idque particulare pertineant: aliæ pluribus his & ita sint communes, ut etiam rebus aliquando longè diversissimis competant. Ita ex *Materia* & *forma constare, mobile esse & quiescibile* soli corpori naturali competit: *ast Ens esse, alterius cujusdam entis vel Causam vel Principium esse*, id non de hoc tantum, sed & illis quæ ab omni materia consortio sunt immunia, prædicari potest. Hinc jam fit, ut quid *materia & forma, mobilis & quiescibilis* nomine intelligatur, illa scientia tradat, quæ corpus naturale suæ considerationi substernit; *Entis verò, Cause atque Principii* notionem ea tradat disciplina, quæ à reliquis tanquam universalis à particularibus est distincta. Patet ergo, quosdam terminos uni alicui scientiæ esse proprios, quosdam verò in pluribus illis usurpari.

XX. *Proprios* quod attinet, suos hos singulis esse scientiis, etsi ex iis quæ modò diximus constet, inde tamen etiam apparet, quod uti quælibet earum proprium habet γένος ὑποκειµενον, de quo per domestica principia proprias demonstrat affectiones; ita vocabula, quibus species, principia, & affe-



affectiones subjecti significentur, si in vulgari consuetudine  
desint, imponat, aut si fortè jã adsint, accuratè explicet. Sed  
hæc M. Tullius nos doceat, qui lib. iiii. sub initium de Fini-  
bus Bonorum & Malorum ita hanc in rem scribit: *Stoicorum  
non ignoras quàm sit subtile vel spinosum magis dicendi genus, id-  
que tum Græcis, tum magis nobis, quibus etiam verba parienda  
sunt, imponendaque nova rebus novis nomina. Quod quidem  
nemo mediocriter doctus mirabitur, cogitans in omni arte, cujus  
usus vulgaris communisque non sit, multam novitatem nominum  
esse, dum constituantur earum rerum vocabula, quæ in quaque  
arte versentur. Itaque & Dialectici & Physici verbis utuntur  
is, quæ ipsi Græcia nota non sunt: Geometra verò, Physici, Gram-  
matici etiam more quodam loquuntur suo: item ipse Rhetorum  
artes, quæ sunt totæ forenses atque populares, verbis tamen in di-  
cendo quasi privatis utuntur ac suis. Atque ut omittam has ar-  
tes elegantes & ingenuas, ne artifices quidem tueri sua artificia  
possent, nisi vocabulis uterentur nobis incognitis, usitatis sibi.  
Quin etiam Agricultura, quæ abhorret ab omni politiori elegan-  
tia, tamen eas res in quibus versatur nominibus notavit novis, quo  
magis hoc Philosopho faciendum est. Ars enim est Philosophia  
vitæ: de quâ differens arripere verbo de foro non potest.*

XXI. Atque hoc quod jam fatentem audivimus di-  
sertissimum Romuli nepotum, exemplis, modò opus foret, ex o-  
mnibus in universum scientiis petitis confirmari potest. Ita  
Logicus, quem hodie ita vocamus, dum methodum ve-  
ritatis in lucem protrahendæ tradit, vocibus *Termini, E-  
nunciationis, Subjecti, Prædicati, Syllogismi, Demonstrationis*  
utitur: quæ etsi, uti deinceps observabimus, partim è com-  
muni usu, partim ex Mathesi mutuo sint acceptæ, ea tamen  
significatione, quâ is accipit illos, soli huic sunt proprii.  
Physicus dum corpus Naturale considerat, simul voces *Na-  
tura, Motus, Quietis, Materialis, Corruptibilis, Generationis*, sibi  
eò,



ed, quem hic habent, sensu proprias exponit. Philosophus Moralis dum actiones humanas informat, quid *Vir-  
tutis moralis*, quid *Vitii*, quid *Proaresios*, quidve *Spontanei* no-  
mine intelligi debeat, declarat. Politicus dum docet,  
quomodo Respublica in Civitatem introduci debeat, quid  
*Majestatis*, *Aristocratie*, *Oligarchie*, *Democratia*, *Monarchie*  
nomine veniat, constituit. Optimè rursus Autor ano-  
nymus §. xviii. à nobis laudatus, alterà ab eà, quam ibi  
allegavimus, paginà scribit: Es nehme der Censor auch die  
andern Disciplinas. er nehme Mathematicam, Physicam, E-  
thicam &c. Da muß er ja gestehen das eine jede ihre termi-  
nos domesticos, also zu reden (*οικειος*) oder die ihr zustehen  
expliciret und in was für einem verstande sie dieselben führe  
oder gebrauche anzeiget / darauff dieselben definiret, darnach  
wo es sich giebet dividiret, und die species zeiget. Als zum  
exempli / wenn der Ethicus tractiret (anderer leichteren materi-  
en zu geschweigen) de principiis actionum humanarum, als  
de spontaneo & invito, electione & consultatione, de vo-  
luntate & libero arbitrio, da muß er zufordeist dieser Wör-  
ter eigentliche bedeutung / als welche die tractatio Ethica erfor-  
dere / und haben wil / beobachten / so dann dieselben definiren,  
darnach auch sehen / wie weit sie sich extendiren, und wohin sie  
zu appliciren sein / oder appliciret werden können.

XXII. Sequuntur termini vel pluribus vel omnibus  
scientiis Philosophicis *Communes*, quos ad eam scientiam  
pertinere diximus, quæ ad reliquas ut universalis ad parti-  
culares sese gerit. Est illa Philosophia prima, seu uti ho-  
die, satis tamen vetusta appellatione, vocatur, *Metaphy-  
sica*. Etenim hæc dum contemplatur Ens, quâ ratione est  
Ens, quæve huic per se in sunt, communes simul explicat  
terminos, qui plurium deinceps inferiorum scientiarum  
subjectis accommodari possunt. Et verò sicuti Euclides  
Elemen-



Elementis suis definitiones præmisit terminorum, quibus  
 in ipsa illa scientia erat usus v. g. *puncti, linea, ejusque*  
*tum recta, tum curva, superficiei, anguli & hujus tum recti*  
*tum obtusi, diametri, centri:* ita & Philosophus, quem κατ'  
 ἔξοχὴν talem vocat Aristoteles, explicat terminos genera-  
 lissimos, quibus ad explicandas res in hac disciplina tra-  
 dendas, uti cogimur. Præstitit hoc ipse potissimum librò  
 quintò, eoque integrò, quem propterea ipse περὶ τῶν πολλῶν  
 ὡς λεγομένων X. Metaph. c. 1. & περὶ τῶν ποσῶν VII. Metaph.  
 cap. 1. agere dixit. Benè hoc Philosophi institutum cum  
 aliis Interpretibus agnovit Antonius Scaynus, quando in ar-  
 gumento, quod Paraphrasi & annotationibus in librum quin-  
 tū Metaphysicorum p. 167 præmisit, ita scribit: *In libro quin-  
 to explicationes afferuntur vocum maximè universalium, quarum  
 usus in omnibus fermè scientiis exhibetur. Id enim munus ju-  
 re suo sibi vendicavit hæc prima Philosophia, quæ rerum omnium  
 est contemplatrix. Simul autem hic omnes explicationes in hoc  
 libro congestæ sunt, quod sequentibus speculationibus magno usui  
 essent futura hæc enim rationem docendi & Mathematica disci-  
 plina, aliæque scientiæ sectantur, dum præmittunt explicationes  
 terminorum, quibus sunt usura in suorum thematum demonstra-  
 tionibus.* Conf. Soneum Comment. in libb. Metaph. Aristot.  
 tel. p. 265. & Piccartum Magoge in lectionem Aristotelis  
 cap. 30. §. 45. p. 292.

XXIII. Uti ergò *Propriorum* terminorum recta expli-  
 catio ac genuina significatio ex eâ disciplinâ peti debet,  
 cui illi sunt proprii: ita *Communium* vera & significatio & ex-  
 plicatio ex universali Scientiâ, sive Metaphysicâ, est depro-  
 menda. Agnovit hoc ipsum Suarezius, inter eos qui in  
 hac disciplinâ excolenda operæ pretium fecerunt, magni  
 nominis, quando dispp. Metaphys. Primâ, sect. 1v. §. 17. p.  
 22. col. 2. ita scribit: *Imprimis tradis & declarat (Metaphy-*

D

lica)



Metaphysica) rationem ipsorum terminorum, ex quibus prima principia constant. — Traditur enim in hac scientiâ quid sit ens, quid substantia, quid accidens, quid totum, quid pars, quid actus, quid potentia, ex quibus terminis & aliis similibus prima principia constant. Eadem cum Suarezio docet, vel potius hæc ipsa ejusdem verba animò volvit, Scheiblerus, in Opere Metaphysico lib. 1. cap. 1. tit. 5. act. 1. p. 45. ubi postquam dixerat quod multiplex Metaphysicæ utilitas & necessitas ad omnes alias Scientias ex hoc ipsius munere, quò fungitur in declaratione istorum universalissimorum terminorum, pateat; pag. sequente ita pergit: Secundum munus Metaphysicæ est, conformare ac demonstrare prima principia. Hoc officium Aristoteles Metaphysicis tribuit 4. Metaph. c. 3. & 1. Post. c. 7. & 1. Phys. c. 1. Exequitur autem id variis modis, ut præ aliis eleganter docet Suarez disp. 1. sect. 4. n. 17. Primum id facit diligenter declarando terminos illos ex quibus prima principia constant. Traditur enim in hac scientiâ quid Ens, essentia, actus, potestas, totum, pars, aliaque ex quibus illa prima principia conficiuntur. Ad primorum autem principiorum notitiam nihil ferè magis facere potest, quàm si termini rectè intelligantur.

XXIV. In promptû foret plura aliorum, doctorum Victorum, suffragia adjicere, nisi & hæc sufficere putaremus, & res ipsa magis nota videatur, quam ut multis testimoniis confirmari egeat. Placet tamen adhuc unicum audire Scharffium: qui in disp. Metaph. primâ, quam Consensû Amplissimæ Facultatis Philosophicæ in Academia Wittebergensi A. 1622. publicè ventilandam proposuit, ita habet. Porro declarat (Metaphysica) quid sit substantia, quid accidens, quid individuum, quid suppositum, quid persona, quid quantitas, qualitas, habitus, relatio &c. Horum omnium terminorum & aliorum per plurimorum universalium accuratam distinctamque notitiam VNICA hæc nostræ sapientia exhibet. Et paulò post: Accuratam



curatam & distinctam cognitionem horum terminorum **XXV**  
**QUAM ASSEQUERIS SINE HABITU METAPHYSICAE.**  
— Potissimum hoc est & palmarium, quod beneficio habitus Me-  
taphysici mens judicare queat de vero usu terminorum generalis-  
simorum — & de legitima applicatione eorundem. Hæc omnia  
rectè Scharffius, & longè rectius, quam alius nonnemo,  
cujus verba deinceps producemus, docuit: nisi quod infra  
Sapientia hujus atque scientiarum omnium Domina (quibus ce-  
logiis eam suo meritò honorat Aristoteles I Metaph. cap. 2,  
& I. Poster. cap. 9.) dignitatem loqui videatur, quando po-  
tissimum & palmarium ejus munus in explicatione termino-  
rum quorundam generalissimorum collocat. Neque enim  
ipsum latere poterat, tantum abesse, ut liber quintus Me-  
taphysicorum Aristotelis, quò is de professo, uti loquun-  
tur, terminos illos explicat, potissimum & palmarium primæ  
Philosophiæ munus absolvat, ut potius unâ cum quatuor  
antecedentibus & sexto sequente majoris operis, quod sum-  
mus Philosophus mente agitabat, & librò demum septimò  
auspicatur, quoddam sit vestibulum. Atque hoc de quinto  
illo ne ipse quidem Svarcius audeat negare, quando in In-  
dice locupletiss. in Metaph. Aristotelis ita sub initium ejus li-  
bri scribit: *Quò fit ut hic etiam liber si Aristotelis mentem spe-  
ctemus inter præambula ad veram scientiam Metaphysicam tra-  
dendam annumerandus sit. Addit autem: Si verò morem in-  
terpretum consideremus, in eò res ipsa ad objectum Metaphysicæ  
pertinentes, præsertim predicamenta omnia & causa entis in  
quantum ens tractari solent; in quorum cognitione magna hujus  
doctrina pars consistit. Ubi sane non possumus non ingenuum  
candorem Svarcii laudare, dum fateri non dubitat, Inter-  
pretes quosdam, cum Aristotelis mentem non rectè perce-  
pissent, librum hunc ad ipsam scientiam retulisse.*

**XXV.** Longè rectius mentem Philosophi assecutus

D 2

est,



est, & de summa disciplinæ hujus dignitate statuit Piccartus, qui Isagoge in lectione Aristotelis c. xxx. §. 47. p. 293, ita censet: *Est neque hic liber verè Philosophicus. Cum enim Philosophia per se sit expetenda, lexica talia, hoc est, vocabulorum expositiones eam laudem non merentur, cum per se minime, sed alterius gratia afferantur.* Quod si probè nonnulli observassent, qui Metaphysices compendia conscribere conati fuerunt, Sapiencia hæc in merum Lexicon Philosophicum apud illos non degenerasset. Hanc aliter enim hodie eam à quibusdam tradi & libelli, qui vulgo prostant, abundè testantur, & fassus est Autor anonymus scripti *Klage der Causse Moralis &c. p. 17.* Was ist diese disciplina (scilicet uti hodie tradi solet) anders/als ein Lexicon Philosophicum, darinnen die voces oder termini Communissimi expliciret, und zusehender die homonymiæ & variæ eorum acceptiones, darnach ihre definitiones, so dann die divisiones oder distinctiones tractiret werden/und da er eugen sich den schönẽ axiomata oder canones, so ex natura terminorum Metaphysicorum genommen sind. Quis verò adeò peponem pro corde habeat, ut lexico tali invidenda ferè elogia *primæ Philosophiæ, Philosophiæ namq̃ exoptatissimæ, Sapiencia, Scientia omnium honoratissima, maximè Principis tribuere velit, quibus tamen Aristoteles, qui primus nobis disciplinas ordinavit, eam exornat?* Neque tamen hæc ita velimus intelligi, quasi sperni prorsus terminorum illæ explicationes, aut libri, qui eas ritè tradunt, juvenum manibus excuti debeant: imò profiteamur cum Salomone Genero, Theologo quondam in Academiâ Wittebergensi celeberrimo, præfat. quâ Johannis Versoris Metaphysicam laudavit: *Si nihil aliud esset in hoc libro Metaphysico, quàm vocum illa & rerum ambigüe sumtarum expositio, ambabus, quod dicitur, manibus, acceptandus foret.* Sed hæc quasi obiter dicta sunt; nos ad institutum jam revertimur.



XXVI. E dictis constat, quæ necessitas coëgerit Philosophos, ut non pauca nomina vel prorsus nova, vel aliã, quàm vulgo fieri solet, significatione usurpata rebus à se deprehensis imponerent: eaque in Communia & Propria distingui posse simul diximus. Non obscurum itaque amplius erit, undè iudicium sit faciendum, si de verã ac genuina termini cuiusdam Philosophici significatione pronunciari debeat. Uti enim in vocibus, quas è communi usu accepimus, ad consensum hominum eodem idiomate utentium respicere oportet, ceu supra ostendimus: ita in his, quæ Philosophi introduxerunt, horum loquendi consuetudinem fas est sequi. Et verò si peccat, qui vocabulum è communi usu depromptum, aliter usurpat, quàm hactenus factum fuit: nec is quoque ferendus erit, qui terminis Philosophicis aliam significationem affingere audeat, quàm illi indiderunt, qui & instituerunt eosdem primum, & sapientiam vel voce vel scriptis ad nos propagarunt. Si enim & circa hos facere cuiuslibet licet, quod libet, actum jam est de Philosophia, dum nec quisquam vel veteres ejus interpretes intelligere, vel illis qui his adfueri sunt animi sui sententiam perspicuè significare potest. Eadem itaque necessitas, quæ voces vulgò usitatas unã semper atque eãdem significatione usurpare jubet, Philosophos quoque urget, ut vocum quibus ad sapientiæ studia propaganda tanquam propriis uti coguntur, eadem sit apud omnes, illaque rata ac firma significatio. Hæc autem quænam sit, ex eã disciplina peti debet, ad quam res ipsa pertinet, quæ ejusmodi termino explicari solet. Physica ergo, sive rerum naturalium scientia, consulenda erit, si quid voce Motus vel Naturæ apud Philosophos naturales denotetur nosse velimus: non aliter quam ex Ethicã quid vocabulo Proæreseos, ex Politica quid Majestatis nomine intelligi debeat, iudicium fieri oportet.





XXVII. Cum verò disciplina Philosophicæ non un-  
Autore per tot seculorum decursus ad nos fuerint propa-  
gata, ulterius inquirendum erit, à quibus potissimum veram  
vocum, de quibus nunc loquimur, significationem disce-  
re, quosve sequi Philosophus debeat. Atque hîc jam ve-  
teres imprimis audiendos esse neminem, cui saltem non o-  
mnis iudicandi vis perit, dubitare existimamus. Namque  
uti hi primi ingenti studiô artes atque scientias in Methodum  
redegerunt, ita & terminos, quibus res disciplinæ cuilibet  
propriæ significantur tradiderunt: quorum institutum cur  
abrogare vel immutare quis velit, nondum satis causæ da-  
ri posse videtur. Sanè Galenus ad priscos Doctores nos  
vocat, quando lib. I. de difficultate respirat. cap. 2. ita scri-  
bit: *Haec quidem igitur universa sunt simplicis respirandi diffi-*  
*cultatis differentia, atque hæc sanè ipsarum nomina, tum priscis*  
*aliis Medicis, tum Hippocrati in usum recepta. Si verò quis-*  
*piam aliter appellare velit, quemadmodum jam quidam ex rece-*  
*tioribus Medicis solent, nostra nihil interest. Verùm sciat hic quod*  
*neque Hippocrati familiaribus, neque etiam aliis veteribus, imò*  
*nec aliis Grecis & Latinis usurpatis nominibus utatur. Et si hæc*  
*negligit aut contemnit, neque propriè neque perspicuè interpre-*  
*tatur. Idem ille lib. III. de different. puls. cap. 4. satius*  
*putat veterum usum retinere, quam immutare, etsi fortè*  
*appellatio magis commoda videatur posse dari. Si de Me-*  
*dicis, inquit, vocabulis primò omnis nostra potestas sit instituen-*  
*dis, contentum eum pulsum non vehementem appellemus. Nunc*  
*quia à plurimis jam pridem vehemens est vocitatus, nomen nihil*  
*mutamus: tamen si vulgò non simus nescij vehementia nomen a-*  
*ctioni tribui contenta simul & citata: siquidem læta vocantur*  
*vehementes. Et hercle genus leonum appellant omnes vehe-*  
*mens, quoniam hujus quoque contentam actionem atque citatam*  
*conspiciunt. Quamobrem si mihi nomen sit instituere liberum, sim-*  
*plia*



*placem pulsam qualitatem venientium & evertentium tactum viam  
vel robur vel contentionem appellem, vel quid tale aliud. Qua verò  
ex hac est & celeritate conflata, vocem vehementiam. Nunc verò  
quandoquidem vehementia nomen maxima pars Medicorum usurpa-  
vit, pro una de primis differentiis, esse illud statui non vitandum.*

XXIIX. Nos hodie sequimur eam Philosophandi ra-  
tionem, quam ante bis mille ferè annos in ipsâ rerum natura  
observatam constituit Aristoteles. Hunc enim præceptorem  
non tantum publica statuta Academiis plerisque, verum tot  
etiam seculorum suffragia omnibus sapientiæ studiosis com-  
mendant. Et si verò non simus in eâ hæresi, ut unum Aristo-  
telem sapuisse, unum nihil ignorasse, unum nusquam aberras-  
se credamus: ab eò tamen, tanquam genuino sapientiæ inter-  
prete, Philosophicam loquendi consuetudinem petendam  
esse non dubitamus. A quo enim hodie eam discemus tutius,  
quàm illo, à quo eandem acceperunt, quicumque sapientiæ qua-  
dam laude ab ejus usque tempore in Peripato imprimis floru-  
erunt? Quotiescunque igitur de significatione vocis cuiusdam,  
sive mere Philosophicæ, sive è communi usu peculiari signi-  
ficatu in Philosophiam adscitæ, quæritur, primò omnium A-  
ristoteles, Philosophiæ nostræ Princeps, est audiendus, quo ve-  
ris vocem accepit sensu, eodem à nobis & accipi & usurpari  
debet. Medicorum nempe τὰς χαρίεντας imitari oportet, quos  
in simili negotio ad Hippocratem, Medicinæ Parentem, suos  
ablegare videmus. Ita cum Aristoteli Ἀξιωμα audiat proposi-  
tio fide per se digna, perperam fecit Ramus, & quisquis alius  
hunc sequitur novator, dum illam appellationem omni in uni-  
versum enunciationi tribuit. Neque tamen cum Aristotelis lo-  
quendi consuetudinem retinendam dicimus, discrimen in-  
ter libros ejusdem Acroamaticos & Exotericos negligi debet.  
Namque uti in illis πραγματικῶς & ἐπισημονικῶς de rebus agit, è  
propriis ac vernaculis principiis earundem progressus solam  
attendendo veritatem, in his verò διαλεκτικῶς ἢ παχυλῶς par-



timè communibus principiis, partim ex hominū opinionibus res exponit & potissimum ad δόξαν respicit: ita in illis, quæ subactis tantum & probè excultis ingeniis scribebat accuratius loquitur, in his autem stilum ad usum popularem ita accommodat, ut à πολλοῖς & ἀμυήτοις intelligi posset. Atq; hæc tam diversa librorum Aristotelicorum ratio, tum alibi ob multas alias gravissimas causas, tum hîc propterea diligenter attendi debet, ut de vocum rectâ significatione accuratè iudicium facturi, Acroamaticos Exotericis præferamus, si forsan aliter voce quadâ in his quam illis eum uti contingat.

XXIX. Uti verò non solus quicquid sciri potest cognovit Aristoteles, ut nimius hujus amor quondam persuasit Averroi in l. 3. de Animâ, & nonnulla ejusdè opera sive temporum sive aliâ quâdam injuriâ interciderunt; ita è monumentis ejus quæ hodiè supersunt, non omnia nobis promittere possumus nomina, quibus nos uti necessitas cogit, quando hodie de Philosophiâ aliquid commentamur. Peragenda itaq; est ad eos, qui accepta à summo Philosopho sapientiæ studia more illi usitatô excoluerunt. Hîc verò post Theophrastum propter deplorandâ librorum Aristotelicorum sub terra latentium calamitatem, nemo, cujus monumenta quidem supersint, ad Aspasiū usq; occurrit, nisi fortè Andronici Rhodii fuerint ea commentaria in opus Nicomachicum quæ in Batavis annis abhinc ferè quadraginta edidit Daniel Heinsius: Etsi tamen nec de tempore, quo Aspasius vixit, liquidò prorsus constat. Imprimis verò seculo III. post natum Christum ad Philosophiam Peripateticâ excolendam magnum momentum contulit Alexander Aphrodisiensis, Ἐξηνητής ille, quem eodem & ad septimum usque sequentibus seculis exceperunt, Ammonius Alexandrinus, Porphyrius, Isagoge de quinque vocibus conscriptâ celebris, Themistius Ἐύφραδής, Olympiodorus, Ammonius Ἐρμείας, Simplicius & Johan-



Johannes Philoponus. Quamvis autem Græcè hi omnes scripserint, sollicitè tamen usum vocum, quem ab Aristotele acceperant, servarunt, & ad multa accuratius tradenda alia non pauca nomina instituerunt. Geminum itaque quantum quidem ad præsens institutum attinet, in iis legendis faciet Philosophus operæ pretium, ut & in recepta Aristoteli vocum significatione animum confirmet, & subinde plures, quas Philosophiæ studia, si aliis tradi debeant, exigunt, inde addiscat.

XXX. Primus qui apud Latinos Aristotelicam Philosophiam excoluit, cujusve monumenta hodie consulere nobis licet, fuit sub initium sec. vi. Boëthius, Vir & eruditione & dignitate illustris, cujus scripta tum Theologica tum Philosophica adhuc supersunt. Sed non diu Latio stetit hæc felicitas. Nam paulò post barbaræ gentes in Romanum imperium irruentes, non modò in Italia sed ipsa quoque Græcia & Philosophiæ & bonarum literarum studia adeo oppresserunt, ut sequentia secula è Græcis quidem oppidò paucos, è Latinis autem nullos fortè habuerint, qui ad nostrum hoc institutum facere possint. Postquam autem circa seculum xi. ad Muhammedanos, qui multas in Europa, Asia, & Africa, provincias devicerant, Philosophiæ studium transiisset & ab Avicenna cum primis & Averroë excultum fuisset, tandem auspiciis Friderici II. sec. xiii. Imperatoris occasione expeditionum in Syriam susceptarum ad Latinos rediit. Namque tum conversis jam ex Arabico in Latinum sermonem cum aliorum tum Aristotelis cum primis monumentis, homines in monasteriis delitescentes agmine factò in eadem involarunt. Dicti illi tuere, à subtili, quod sectabantur, docendi ac disputandi genere, Scholastici. Ad hos autem postquam devenimus, duo cum primis de illis sunt notanda, quæ cum ad nostram Helenam cum primis faciant, silen-

E

tiq





tio præteriri non debent. Primum est, quod Scholastici doctores non modò plures terminos purè Philosophicos haut parùm illustrarint: sed & plurimos, quorum eximius tum in Philosophia, tum in Theologia, est usus, hætenus autem expositi non erant, egregiè declararint, & subinde plures, si *ἀνεπίβητα* exigeret, adjecerint. Nempe cum Prisci Ecclesiæ Patres abstrusa fidei nostræ mysteria, Trinitatis, Incarnationis, & alia contra adversarios, qui eadem labefactare argumentatiunculis suis è ratione petitis satagebant, defendere atque vindicare conati fuissent, sæpe factum erat, ut ad sophisticas captiones elidendas, & ea quæ illi malè confundebant, probè distinguenda, terminis quibusdam aliàs *ἀνεπίβητοις* uterentur. Tales erant voces *Persona, Relationis, Essentia, Subsistentia, Natura, unionis, communicationis, concreti & abstracti* tum quod *natura*, tum quod *persona* tale dicitur & plures alii. Hos ipsos ergò cum apud Patres Scholastici, Christiani Philosophi, summis mysteriis accommodatos reperissent, cum aliunde, tū ex usu, quo hætenus in Ecclesiâ adhibiti erant, notiones eorundem deductas declararunt, quidve iis intelligi debeat in actu signatò accuratè exposuerunt, postquam Patres non nisi in actu exercitò iis contra hæreticos vel impios usi fuissent: secuti eò ipsò præclarum Boethii exemplum, quem primum viâ divisionis progressum accuratam *personæ* definitionem lib. de duabus naturis & una persona cap. 2, constituisse constat. Sic itaque factum est, ut plures hodie in Philosophia non minus quàm Theologia adhiberi debeant termini, quorum genuinam vim atque significationem non nisi à solis Scholasticis discere licet. Ut ita vel hinc constet, quantum fallantur & ipsi & fallant alios, qui *magnos hosce & ingeniosos viros*, ut Apol. Aug. Conf. illos vocat, sine discrimine rejiciunt, vel aliis suspectos reddere laborant.



XXXI. Ast utinam in his, quæ vel ad solidam Sapien-  
tiam excolendam, vel ad salutis nostræ mysteria declaranda  
atq; defendenda faciunt substitissent, nec ad alia interdum  
progressi fuissent, quæ acuta magis quàm solida, curiosa ma-  
gis quàm utilia erant. Verum enim verò negari non pot-  
est, ipsos, dum haut rarò vanas ac portentosas in Philo-  
sophiam invehunt quæstiones, aut inaccessum illud lumen  
vespertilionis miselli adire conati, & nescio quam *ἀνεγ-  
ρούχων* sectati fuerunt, tales aliquando adhibere termi-  
nos, qui obscuritate sua implicant potius, quàm expli-  
cant, ac ita propriam vocum virtutem, quam perspicui-  
tatem esse constat, amittunt. Sane Horneii nostri *Ἐπιτομῆς*  
hoc de sequentium potissimum temporum scholæ  
istius est iudicium præf. in Cornel. Martini Comment. Log.  
*Paulatim robur illud doctrinæ Alberti, Thoma, Henrici, Scoti,  
Ægidii dissensionibus alumnorum attenuari cepit, donec conten-  
tione sectarum discordantium multa intricarentur magis, quàm  
enuclearentur, ac curiosa sæpe & nimiam subtilitate suffocarentur.  
Magnas autem cum primis tenebras scriptis illorum offundebat  
elegantiorum literarum, quæ illa secula occupabat ignorantia: ea  
enim id effecit, ut tum difficultatem tum obscuritatem, quæ ca-  
teroque per se cum omni abditâ & exquisita doctrinâ conjuncta  
est, auctores isti non tantum disertâ & perspicuâ oratione non  
mitigarent, sed de industriâ etiam augere viderentur. Sed &  
huic malo remedium fuit factum, postquam bonæ literæ  
seculo xv. reviviscere cœpissent. Tum enim in Italia pri-  
mum, post quoque in Gallia & Germania passim Viri do-  
cti excitati fuerunt, qui puriorem Philosophiam è Scho-  
lasticorum nebulis extraherent, & terminis nimiam obscu-  
ritate laborantibus liberarent, ac cætera adhiberent, qui-  
bus illa pristinum suum nitorem rursus est indepta.*

XXXII. Hæc è Philosophiæ Peripateticæ historia  
propterea hoc locò veluti ἐν ἄριστον repetere debuimus,




ut constaret, quinam illi sint, à quibus veram vocem,  
quibus Philosophia sibi propriis utitur, significationem  
petere debeamus. Primum nempe locum jam supra suo  
merito detulimus Aristoteli: apud quem quæ non oc-  
currunt voces, suppeditabunt easdem Interpretes Græci:  
qui & ipsi si nos destituant, Scholasticos consulere por-  
tet, eosque qui post eorum tempora sapientiæ studia ex-  
coluerunt. Rursus si forsan, uti sæpe fit, de vera vocis  
cujusdam in Philosophia acceptione controversia inci-  
dat, is quidem suam, quam illi tribuit, probasse censen-  
dus est, si Aristotelem non alio significatu eâ usum esse  
probarit: atque hoc multò magis tum fecisse existimari  
debet, si illo ipso sensu, non Aristotelem saltem, sed &  
Græcos ejus Interpretes, Scholasticos, atque hujus supe-  
riorisque seculi scriptores adhibuisse ostenderit. Exem-  
plum ejusmodi suppeditabit Clarissimi Dn. Frölingii,  
Præceptoris ac Hospitis multis nominibus utrique no-  
strum Venerandi, Disputatio IV. de Naturâ Logices, quæ  
eâ ipsâ serie progressus pluribus cum Aristotelis, tum Græ-  
corum & Latinorum Philosophiæ Interpretum testimo-  
niis ostendit scientiæ vocabulò omnem omninò deno-  
tari cognitionem certam atque è suis principiis acce-  
ptam, sive in ea acquiescatur, sive ulterius ad agendum  
vel efficiendum quippiam sit ordinata. Nos hîc jam sub-  
sistimus, & quæ circa hanc *παραγυαμίαν* alia adhuc  
observari merentur sequenti exercitati-  
oni servamus.











99 A 6952

ULB Halle 3  
002 826 623




V3 17


Ruhig ✓











EXERCITATIONUM ACADEMICARUM  
DE  
RECTO NOMI-  
NUM IN PHILO-  
SOPHIA USU

PRIOR  
Ex Aristotelis & cum primis Galeni monumen-  
tis, ubi licuit, deprompta

Q V A M  
D. O. M. A.

CONSENSU AMPLISSIMAE FACULTATIS  
PHILOSOPHICAE

IN ILLVSTRI ACADEMIA IULIA


PRÆSIDE  
M. HENRICO WIDEBVRGIO

Publico Eruditorum Examine  
submitto

JOHANNES GEORGIUS GOTTSMANN  
Mündensis.

IN NOVO PHILOSOPHORVM AVDITORIO

A. D. MDCCLXXXI. Novembr.



HELMESTADI,

Typis HENNINGI MULLERI Acad. Typogr.

MDCCLXXXI.